

gemmæ laudis Dei exirent de ejus ore, nisi thesaurum haberet in corde? Qui divites esse vultis, tales divitias concupiscite, quas nec in naufragio potestis amittere. Ergo tales quando humiliantur, nolite eos putare miseros. Erratis, non scitis quid intus habeant. Ex vobis conjicitis, qui mundum diligitis, quia vos cum talia perditis, miseri remanetis. Prorsus nolite hoc putare; habent intus quo gaudeant. Interior est dominator eorum, interior est pastor et consolator ipsorum. Ipsi sunt qui male cadunt, qui spem suam in hoc sæculo ponunt. Aufertur quod nitebat foris, nihil remanet intus nisi fumus malæ conscientiæ. Unde se consolentur non habent, non habent quo foras exeant, non habent quo intro redeant, deserti pompa sæculari, inanes gratia spiritali, vere humiliantur. Et multus facit Deus ista in isto tempore, sed non omnibus. Si enim nemini faceret, quasi non videretur vigilare divina providentia: si omnibus faceret, non servaretur divina patientia. Tu tamen, Christiane, tolerare didicisti, non vindictam retribuere. Vindicari vis, Christiane? Nondum vindictatus est Christus. An tu passus es improbum, et ille non passus est? Nonne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur? Nam in te tribulatio fornax aurificis est, si tamen aurum sis, et non palea, ut sordibus careas, non in cinerem convertaris.

XIII. « Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam » veritatem requirit Dominus, et retribuet his qui abundanter faciunt superbiam¹: » Sed quando retribuet? O si modo retribuere! modo eos volebam videre humiliatos atque prostratos. Audite quid sequitur. « Viriliter » agite. » Nolite lassas manus in tribulationibus dimittere, non nutent genua vestra. « Viriliter agite, et confortetur cor vestrum². » Ad perpetiendam et toleranda

¹ Psal. xxx, 24. — ² Ibid. 25.

omnia mala hujus sæculi confortetur cor vestrum. Sed qui sunt quibus hæc dicit Propheta: « Viriliter agite, et » confortetur cor vestrum? » Numquid his qui diligunt mundum? Non. Sed quibus dicit, audite: « Omnes qui » speratis in Domino. »

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXXI.

Ipsi David intelligentiæ¹.

I. Ipsi David intelligentiæ², qua intelligitur non meritis operum, sed gratia Dei hominem liberari, confitentem peccata sua.

II. « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum » tecta sunt peccata³: » et quorum peccata in oblivionem ducta sunt. « Beatus vir cui non imputavit Dominus » peccatum, nec est in ore ejus dolus⁴: » nec in ore suo habet ostentationem justitiæ, cum conscientia ejus peccatis plena est.

III. « Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea⁵. » Quoniam non protuli ore confessionem ad salutem⁶, omnis firmitas mea in infirmitate consenuit. « A clamando me » tota die. » Cum essem impius atque blasphemus, clamando contra Deum, quasi defendens et excusans peccata mea.

IV. « Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua. » Quoniam continua afflictione flagellorum

¹ Psal. xxxi, 1. — ² Vide D. Guillon, tom. xxi, pag. 427. — ³ Psal. xxxi, 1. — ⁴ Ibid. 2. — ⁵ Ibid. 3. — ⁶ Rom. x, 10.

tuorum, « Conversus sum in ærumna mea dum, confige-
» retur spina¹. » Miser factus sum cognoscendo miseriam
meam, compunctus mala conscientia.

V. « Diapsalma. Peccatum meum cognovi, et injusti-
» tiam meam non operui: » id est, injustitiam meam non
occultavi. « Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitiam
» meam Domino². » Dixi, Pronuntiabo, non adversum
Deum, sicut in clamore impietatis quando tacui, sed ad-
versum me injustitiam meam Domino. « Et tu remisisti
» impietatem cordis mei: » audiens vocem confessionis in
corde, antequam voce proferretur.

VI. « Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore
» opportuno³. » Pro hac impietate cordis ad te orabit
omnis sanctus. Non enim meritis suis sancti erunt, sed
opportunitate temporis, hoc est, in adventu ejus, qui nos
a peccatis redemit. « Verumtamen in diluvio aquarum
» multarum, ad eum non appropinquabunt⁴. » Verum-
tamen nemo arbitretur, cum repente finis venerit, sicut
in diebus Noë, remanere confessionis locum, per quam
propinquetur ad Deum.

VII. « Tu mihi es refugium a pressura, quæ circum-
» dedit me⁵. » Tu mihi es refugium a pressura pecca-
torum, quæ circumdedit cor meum. « Exultatio mea,
» redime me a circumdantibus me. » In te mihi est gau-
dium, redime me ab ea tristitia, quam mihi peccata mea
faciunt.

VIII. « Diapsalma. » Responsio Dei: » Intellectum dabo
» tibi, et statuam⁶ te in via hac qua gradieris⁷. » Intel-
lectum dabo tibi post confessionem, ut non recedas a via
qua ingredieris, ne tuæ potestatis esse velis. « Obfirmabo

¹ Psal. xxxi, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Ibid. 6. — ⁴ Ibid. — ⁵ Ibid. 7. —
⁶ Vulgata habet *instruam*. — ⁷ Psal. xxxi, 8.

» super te oculos meos. » Ita super te faciam firmam
dilectionem meam.

IX. « Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est
» intellectus. » Ideo se ipsi regere volunt. Et vox Prophetæ:
« In freno et came maxillas eorum constringe¹. » Ergo
fac illis Deus, quod fit equo et mulo, ut pœnis eos cogas
ferre regimen tuum. « Qui non appropinquant ad te. »

X. « Multa flagella peccatoris². » Multum flagellatur,
qui non confitens Deo peccata sua, se ipsum sibi rectorem
esse vult. « Sperantem autem in Domino misericordia
» circumdabit³. » Qui autem sperat in Domino, et ei se
subdit regendum, misericordia circumdabit eum.

XI. « Lætamini in Domino, et exultate justi. » Læta-
mini, et exultate justi, non in vobis, sed in Domino. « Et
» gloriamini omnes recti corde⁴. » Et in eo gloriamini
omnes, qui intellexistis rectum esse illi subdi, ut cæteris
præferamini.

ENARRATIO II

IN EUMDEM PSALMUM XXXI⁵.

I. **PSALMUS** gratiæ Dei et justificationis nostræ nullis
præcedentibus meritis nostris, sed præveniente nos mise-
ricordia Domini Dei nostri, commendatus maxime ore
apostolico, sicut præcedens hunc Psalmum lectio omni-
bus intimavit, a nostra tenuitate susceptus est cum Vestra
Charitate tractandus. Unde primum infirmitatem meam
orationibus vestris commendo, sicut dicit Apostolus: « Ut

¹ Psal. xxxi, 9. — ² Ibid. 10. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 11. — ⁵ Sermo ad
plebem, in quo de fide et operibus disputatur.

» detur mihi sermo in apertione oris mei¹, » sic loqui vobis, quemadmodum et mihi dicere periculosum non sit, et vobis audire salutare sit. Anceps enim animus humanus, et fluctuans inter confessionem infirmitatis et audaciam præsumptionis, plerumque hinc atque inde contunditur, et ita impellitur ut ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donaverit, et in hanc cogitationem se inclinaverit, ut dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseverantibus, tantum credentibus quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita in fine parata est, ut nemo pereat fidelium iniquorum : id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt: Quidvis faciam, quibuslibet facinoribus et flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordia sua, quia credidi in eum. Qui ergo dicit neminem perire talium, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum; et Deus ille justus, cui cantatur misericordia et iudicium, non sola misericordia, sed et iudicium², invenit hominem male de se præsumentem, et ad interitum suum misericordia Dei abutentem, et necesse est ut damnet. Talis itaque cogitatio præcipitat hominem : qua quisque territus, si se in audaciam quamdam præsumptionis erexerit, et de suis viribus justitiæque præsumperit et proposuerit animo implere justitiam, et omnia quæ præcipiuntur in lege ita facere ut in nullo offendat atque in potestate sua se habere vitam suam, ut omnino nusquam labatur, nusquam deficiat, nusquam titubet, nusquam caliget, sibi que hoc tribuat, et potentatui voluntatis suæ : etiam si forte impleverit omnia quæ justa videntur coram oculis hominum, ita ut nihil inveniat in vita ejus, quod possit reprehendi ab hominibus, ipsam præsumptionem jactationemque super-

¹ Ephes. vi, 19. — ² Psal. c. 1.

biæ damnat Deus. Quid igitur fit, si se homo justificaverit, et de justitia sua præsumperit? Cedit. Si considerans et cogitans infirmitatem suam et præsumens de misericordia Dei, neglexerit vitam suam mundare a peccatis suis, et se omni gurgite flagitiorum demerserit; et ipse cedit. Præsumptio de justitia, quasi dextera est : cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis; » Ne declines in dexteram aut sinistram¹. » Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Ab utroque te revocat præceptum divinum; et ab illa altitudine, et ab ista profunditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis; hac si lapsus fueris, demergeris. Ne, inquit, declines in dexteram aut sinistram. Iterum dico quod breviter fixum omnes animo teneatis : Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei. Respondebis : Quid ergo faciam? Psalmus iste docet nos : quo perlecto atque tractato, arbitror, adjuvante misericordia Domini, visuros nos viam vel ubi jam ambulemus vel quam tenere debeamus. Unusquisque pro modulo suo audiat, et sicut sibi conscius fuerit, ita vel doleat corrigendus, vel gaudeat approbandus. Si se deviasse invenerit, redeat ut in via ambulet : si se in via invenerit, ambulet ut perveniat. Nemo sit superbus extra viam, nemo piger in via.

II. Hunc autem Psalmum ad eam gratiam pertinere, qua Christiani sumus, testatus est apostolus Paulus : unde ipsam lectionem vobis legi voluimus. Hoc dixit Apostolus, cum commendaret justitiam quæ ex fide est, adversus eos qui gloriantur de justitia quæ est ex operibus, hoc ait : « Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum » secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus jus-

¹ Prov. iv, 20.

» tificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum¹. » Avertat ipse Deus a nobis talem gloriam, et illud potius audiamus, « Qui gloriatur, in Domino gloriatur². » Multi enim gloriantur de operibus, et invenis multos paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi de bona vita sua. Bene vivere opus est, ait : quid mihi præcepturus est Christus? Ut bene vivam? jam bene vivo : quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinam facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Nam inveniatur aliquid in vita mea quod reprehendatur, et qui reprehenderit faciat Christianum. Habet gloriam, sed non ad Deum. Non autem sic pater noster Abraham. Hæc enim sententia Scripturæ ad hoc vult intentionem nostram dirigere. Quia enim fatemur, et ipsa est fides nostra de sancto Patriarcha, qui placuit Deo, ut dicamus eum et noverimus ad Deum habere gloriam, ait Apostolus : Certe notum est nobis et manifestum, quia Abraham ad Deum habet gloriam : at si ex operibus justificatus est Abraham, habet gloriam, sed non ad Deum : ad Deum autem habet gloriam; non ergo ex operibus justificatus est. Si ergo non ex operibus justificatus est Abraham, unde justificatus est? Sequitur, et dicit unde : « Quid enim Scriptura dicit³? » id est : « Unde dicit Scriptura justificatum Abraham? » Credit autem Abraham Deo, et reputatum est illi ad » justitiam⁴. » Ergo ex fide justificatus est Abraham.

III. Jam qui audit, non ex operibus, sed ex fide : observet illam voraginem, de qua locutus sum. Vides ergo, quia ex fide, non ex operibus justificatus est Abraham; faciam ergo quidquid volo, quia et si bona opera non habuero, et tantum credidero in Deum, deputatur mihi ad justitiam. Si dixit et decrevit, lapsus demersus est : si ad-

¹ Rom. iv, 1, 2. — ² 1 Cor. i, 31. — ³ Rom. iv, 3. — ⁴ Gen. xv, 6.

huc cogitat et fluctuat, periclitatur. Scriptura autem Dei verusque intellectus, non solum periclitantem a periculo liberat, sed et demersum a profundo elevat. Respondeo ergo tanquam contra Apostolum, et dico de ipso Abraham, quod invenimus etiam in Epistola alterius Apostoli, qui volebat corrigere homines qui male intellexerant istum Apostolum. Jacobus enim in Epistola sua, contra eos qui nolebant bene operari de sola fide præsumentes¹, ipsius Abrahæ opera commendavit, cujus Paulus fidem : et non sunt sibi adversi Apostoli. Dicit autem opus omnibus notum Abraham filium suum immolandum Deo obtulit. Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum : laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si autem hoc præter fidem rectam faceret Abraham, nihil illi prodesset qualecumque illud opus esset. Rursum si sic teneret fidem Abraham, ut cum ei Deus imperaret offerre sibi immolandum filium suum, diceret apud semetipsum : Non facio, et tamen credo, quia me etiam contemnentem jussa sua liberat Deus : fides sine operibus mortua esset, et tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret.

IV. Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei, id est, ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus? Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut magnæ vires et cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo computet bona opera sua ante fidem : ubi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valde attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat, quo lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem optime gubernare navim, et perdidisse quo tendit,

¹ Jacob. ii, 1.

quid valet quia artemonem optime tenet, optime movet, dat proram fluctibus? cavet ne latera infligantur; tantis est viribus, ut detorqueat navim quo velit, atque unde velit: et dicatur ei; Usque quo is; et dicat, Nescio: aut non dicat, Nescio; sed dicat, Ad illum portum eo, nec in portum, sed in saxa festinet? Nonne iste quanto sibi videtur in navi gubernanda agilior et efficacior, tanto periculosius eam sic gubernat, ut ad naufragium properando perducat? Talis est et qui optime currit præter viam. Nonne ergo erat melius et tolerabilius, ut esset gubernator ille aliquanto invalidior, ut cum labore et aliqua difficultate gubernacula regeret, et tamen rectum debitumque cursum teneret; rursusque ille pigrius etiam et imbecillius, tamen in via ambularet, quam præter viam fortiter curreret? Optimus ergo ille qui et viam tenet, et bene ibi ambulat: sequentis autem spei, qui et si aliquantum claudicat, non omnino ut erret, ant remaneat, sed progreditur etsi paulatim. Fortasse enim sperandum est, eum quo tendit etiam tardius perventurum.

V. Ergo, fratres, ex fide justificatus est Abraham: sed si fidem opera non præcesserunt, tamen secuta sunt. Numquid enim fides tua sterilis erit? Si sterilis non es, sterilis non est ipsa. Aliquid mali credidisti, et igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremasti. Tene ergo fidem operaturus. Sed dicis: Non hoc ait apostolus Paulus. Imo hoc ait Paulus apostolus: « Fides, inquit, quæ per dilectionem operatur¹. » Et alio loco, « Plenitudo ergo legis charitas². » Et alio loco, « Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo quod scriptum est: Diliges proximum tuum tanquam te ipsum³. » Vide si non vult te operari qui dicit: « Non adulterabis: Non homicidium facies: Non concupisces, et si quod est aliud mandatum,

¹ Gal. v, 6. — ² Rom. xiii, 10. — ³ Gal. v, 14.

» in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuum » tanquam te ipsum: dilectio proximi malum non operatur: Plenitudo autem legis, charitas¹. » Numquid charitas permittit aliquid mali te facere ei quem diligis? Sed forte tantummodo mali nihil facis, non etiam aliquid boni. Ergo-ne charitas permittit te non præstare quiddam potes ei quem diligis? Nonne illa est charitas quæ orat etiam pro inimicis? Ergo deserit amicum, qui bene optat inimico? Itaque si fides sine dilectione sit, sine opere erit. Ne autem multa cogites de opere fidei, adde illi spem et dilectionem, et noli cogitare quid opereris. Ipsa dilectio vacare non potest. Quid enim de quoquam homine etiam male operatur nisi amor? Da mihi vacantem amorem et nihil operantem. Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes, nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum: aquam fluentem in cloacam converte ad hortum: quales impetus habebat ad mundum, tales habeat ad artificem mundi. Num vobis dicitur: Nihil ametis? absit. Pigri, mortui, detestandi, miseri eritis, si nihil ametis. Amate, sed quid ametis videte. Amor Dei, amor proximi, charitas dicitur: amor mundi, amor hujus sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrenetur, charitas excitetur. Ipsa enim charitas bene operantis, da ei spem bonæ conscientiae. Spem enim gerit bona conscientia: quomodo mala conscientia tota in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe. Et erunt tria hæc, de quibus dicit Apostolus, « Fides, spes, charitas². » Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit: « Finis enim præcepti est³ » dixit. Quid est finis præcepti? Quo perficiuntur præcepta, non quo consumuntur. Aliter enim dicimus, Finitus est cibus; aliter dicimus, Finita est tunica quæ texebatur: finitur cibus ut non sit; finitur tunica ut perfecta sit: et

¹ Rom. xii, 9, 10. — ² 1 Cor. xiii, 13. — ³ 1 Tim. i, 5.

hic finis dicitur, et ibi. Non ergo hic finem præcepti dixit, quo quasi pereant præcepta; sed quo perficiantur, et consummentur, non consumantur. Finis ergo ¹ propter tria illa: « Finis, inquit, præcepti est charitas de corde puro, » et conscientia bona, et fide non ficta. » Pro spe bonam conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit. Quem vero pungit mala conscientia, retrahit se a spe, et non sibi sperat nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam; et ut habeat bonam conscientiam, credat, et operetur. Quod credit fidei est, quod operatur charitatis est. Illo ergo loco a fide cœpit Apostolus, « Fides, spes, charitas ²: » alio loco ab ipsa charitate cœpit, « Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta ³. » Modo nos a medio cœpimus, ab ipsa conscientia et spe. Qui vult, inquam, habere bonam spem, habeat bonam conscientiam; ut autem habeat bonam conscientiam, credat, et operetur. A medio imus ad initium et finem: credat, et operetur. Quod credit, fidei est: quod operatur charitatis est.

VI. Quomodo ergo dicit Apostolus justificari hominem, sine operibus ex fide; cum alio loco dicat: « Fides quæ per dilectionem operatur ⁴? » Non ergo Jacobum apostolum Paulo, sed ipsum Paulum ipsi Paulo opponamus, et dicamus ei: Hac nos quodam modo permittis impune peccare, cum dicis: « Arbitramur justificari hominem per » fidem sine operibus ⁵: » et hac dicis: « Fides quæ per » dilectionem operatur. » Quomodo hac quasi securus fio, si operatus non fuero: hac autem nec spem, nec ipsam fidem videor habere bonam, nisi operatus fuero per dilectionem? Te ipsum audio, Apostole. Certe fidem mihi hic sine operibus vis commendare: opus autem fidei di-

¹ Forte *præcepti*. — ² Cor. xiii, 13. — ³ 1 Tim. 1, 5. — ⁴ Gal. v, 6. — ⁵ Rom. iii, 28.

lectio est: quæ dilectio vacare non potest, nisi et mali nihil operetur, et quidquid potest boni operetur. Quid enim facit dilectio? « Declina a malo, et fac bonum ¹. » Hanc ergo fidem sine operibus commendas: et alio loco dicis: « Etsi fidem habeam, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest ². » Ergo si nihil prodest fides sine charitate, charitas autem ubi fuerit necesse est ut operetur, fides ipsa per dilectionem operatur. Quomodo ergo justificabitur homo per fidem sine operibus? Respondet ipse Apostolus: Propterea hoc tibi dixi, o homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, et merito operum tuorum te accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus ante fidem. Noveris quia peccatorem te fides invenit, et si te fides data fecit justum, impium invenit quem faceret justum. « Credi » denti, inquit, in eum qui justificat impium, deputatur » fides ejus ad justitiam ³. » Si justificatur impius, ex impio fit justus: si ex impio justus fit, quæ sunt opera impiorum? Jactet etiam impius opera sua, et dicat: Do pauperibus, nihil alicui aufero, non uxorem alienam concupisco, non quemquam occido, nulli fraudem facio, depositum apud me nullo teste repræsentio; hæc omnia dicat: quæro utrum pius sit, an impius. Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi, de quibus dictum est: « Et servierunt creaturæ potius quam Crea- » tori, qui est benedictus in sæcula ⁴. » Quomodo es impius? Quid si de his omnibus bonis operibus, aut illud speras quod sperandum est, sed non ab illo a quo sperandum est; aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo a quo æterna vita speranda est? Pro bonis operibus sperasti terrenam quamdam felicitatem, impius es. Non est ista merces fidei. Chara res est

¹ Psal. xxxvi, 37. — ² 1 Cor. xiii, 2. — ³ Rom. iv, 5. — ⁴ Id. 1, 25.

fides, vili illam addixisti. Impius ergo es, et nulla sunt ista opera tua. Moveas licet in bonis operibus lacertos, et videaris navim optime gubernare, in saxa festinas. Quid si quod sperandum est speras, id est, vitam æternam, sed non a Domino Deo per Jesum Christum, per quem solum datur vita æterna; sed putas te ad vitam æternam posse pervenire per militiam cœli, per solem et lunam, per potestates aëris, et maris, et terræ, et siderum? Impius es. Crede in eum qui justificat impium, ut possint et bona opera tua esse opera bona. Nam nec bona illa appellaverim, quando non de radice bona procedunt. Quid est hoc? Aut vitam temporalem ab æterno Deo speras, aut vitam æternam a dæmonibus speras: in qualibet parte impius es. Corrige fidem, dirige fidem, dirige viam: et si habes bonos pedes, ambula jam securus, curre, viam tenes: quanto melius cucurreris, tanto facilius pervenies. Sed forte claudicas aliquantum. Saltem a via noli recedere; etsi tardius, perventurus es: noli remanere, noli retro converti, noli deviare.

VII. Quid ergo? Qui sunt beati? Non in quibus non invenerit Deus peccatum: nam in omnibus invenit. « Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei¹. » Si ergo in omnibus peccata inveniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Hoc ergo Apostolus sic commendavit: « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam². » Et ei qui operatur, id est, de operibus præsumit, et eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Quid est hoc, nisi quod merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? Gratis constat. Nihil boni fecisti, et datur tibi remissio peccatorum. Attenduntur opera tua,

¹ Rom. III, 23. — ² Id. IV, 3.

et inveniuntur omnia mala. Si quod debetur illis operibus Deus redderet, utique damnaret: « Stipendium enim » peccati mors¹. » Malis operibus quid debetur, nisi damnatio? Bonis quid debetur? Regnum cœlorum. Tu autem in malis operibus inventus es: si reddatur tibi quod debetur, puniendus es. Quid ergo fit? Non tibi Deus reddit debitam poenam, sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Incipis ergo esse in fide per indulgentiam; jam fides illa assumpta spe et dilectione incipit bene operari: sed nec tunc glorieris, et extollas te: memento a quo in via positus sis; memento quia et sanis pedibus et velocibus errabas; memento quia et si languebas, et in via semivivus jacebas, levatus es in jumentum, et perductus in stabulum². « Ei autem, inquit, » qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, » sed secundum debitum³. » Si vis esse alienus a gratia, jacta merita tua. Ille autem videt quid sit in te, et novit quid cui debeat. « Ei vero qui non operatur⁴, » inquit. Ecce pone aliquem impium peccatorem, non operatur. Quid autem? « Credit autem in eum qui justificat impium. » Ex eo enim quia non operatur bene, impius est: si bona videatur facere, tamen quia sine fide, nec bona vocanda sunt. « Credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam; sicut et David dicit: Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus⁵. » Justitiam autem quam? Fidei, quam bona opera non præcesserunt, sed quam bona opera consequuntur.

VIII. Intendite ergo vos: alioquin male intelligendo projectis vos in illam voraginem impune peccandi: et ego liber sum, sicut ipse Apostolus ab omnibus male intelligentibus liber fuit. Libenter enim male intellexerunt, ne

¹ Rom. VI, 23. — ² Luc. X, 30. — ³ Rom. IV, 4. — ⁴ Ibid. 5. — ⁵ Ibid. 5. 6.